

enim subjective atque entitative naturalis, terminative autem supernaturalis, modo explicato (1).

Et quoniam, ut diximus, obedienciali potentiae respondet elevatio ex parte Dei, «elevatio potentiae obediencialis passivae consistit in decreto Dei supernaturali producendi in ipsa, vel dependenter ab ipsa, ut a subjecto, formam aliquam ipsi naturaliter inassequibilem ratione sui. Elevatio vero potentiae obediencialis activae consistit in conjunctione illius cum auxilio seu comprincipio activo supernaturali; vel etiam in decreto Dei applicante omnipotentiam ad specialiter concurrendum cum aliqua re ad effectum aut actionem supernaturalem et indebitam. Et ratione istiusmodi elevationis utraque potentia, licet entitative naturalis, dicitur implere munus suum, ut supernaturalizata» (2).

ARTICULUS III.

De actu.

218. Nomen actus (græce ἐνεργεια), qui cum forma seu perfectione (ἐντελεχεια) (3) coniungitur, ex motibus maxime desumptum fuisse existimat Aristoteles, et exinde ad alia quoque extensum (4). Cum enim nomina sint signa intelligibilium conceptionum, illis primo imponimus nomina, quæ primo intelligimus, licet sint posteriora ordine naturæ. Inter alios autem actus maxime est nobis notus et apparens motus, qui sensibiliter a nobis videtur. Et ideo ei primo impositum fuit nomen actus, et a motu ad alia derivatum est. Et propter hoc moveri non attribuitur non existentibus, licet quædam alia

Unde nomen
actus
desumptum.

(1) Vide Suar., de Incarnat., disp. 41, sect. 6, In secundo argumento petitur... Et disp. Met. 43, sect. 4, n. 16; Complutens. Physic., disp. 4, q. 5, n. 52.

(2) Lössada, Physic., tract. 2, disp. 6, cap. 5, n. 5. Vide Suarez, de Incarnat., disp. 31, sect. 6, Quarto hoc declaratur.

(3) Discrimen hoc assignat Petrus Fonseca inter has duas voces ἐντελεχεια et ενεργεια, ut illa potius significet actum per modum forme vel habitus insidentem ac permanentem, hæc solam potius operationem. Sæpe tamen indifferenter sumuntur in eodem sensu ab ipso Aristotele. Vide Fonseca, Comment. Metaph., lib. 9, cap. 6, in exposit. text. litt. h.; lib. 1. fin., cap. 7, quest. 3, sect. 8.

(4) Arist., lib. 9 Metaph., cap. 4, text. 7. Cfr. Fonseca et Mauri, ibid.

prædicata non existentibus attribuantur. Dicimus enim non entia esse intelligibilia vel opinabilia, aut etiam concupiscibilia; sed non dicimus ea esse mota. Quia cum moveri significet esse actu, sequeretur quod non entia actu essent actu (1).

Quid autem sit actus definiri nequit; nam prima simplicia definiri non possunt, cum non sit in definitionibus abire in infinitum. Actus autem est de primis simplicibus; unde definiri non potest, sed per proportionem aliquorum duorum ad invicem potest videri, quid est actus. Ut si accipiamus, proportionem ædificantis ad ædificabile et vigilantis ad dormientem, et ejus qui videt, ad eum qui habet oculos clausos, cum habeat potentiam visivam, et ejus quod per operationem artis vel naturæ formatur, et ita a materia informi segregatur; et similiter per separationem ejus quod est præparatum, ad illud quod non est elaboratum, sive quod est elaboratum, ad id quod non est elaboratum. Sed quorumlibet sic differentium altera pars erit actus, et altera potentia (2). Itaque declarari aliquo modo potest, quid sit actus, si dicamus illum esse id, quo res in aliqua perfectione constituitur. Nimirum actus est, cum res est, nec tantum ita est, sicut cum est in potentia. Dicimus enim in ligno esse imaginem Mercurii potentia et non actu, antequam lignum sculpatur; sed si sculptum fuit, tunc dicitur esse in actu imago Mercurii in ligno... (3).

Quid actus.

Et quoniam actus opponitur potentiae, duplex generatim distingui potest, duplici respondens potentiae, activæ nempe ac passivæ. Nam potentiae passivæ respondet forma, activæ autem operatio; quæ prius nomen sortita est actus, propterea quod prius nobis manifestatur operatio, quam principium operationis. Verum quia in re ipsa prius est forma et principium operationis, quam ipsa operatio, forma vocatur actus primus; et operatio, actus secundus. Potentia dicitur ab actu, scribit Aquinas; actus autem est duplex, scilicet primus, qui est forma, et secundus, qui est operatio. Et sicut videtur ex communi hominum intellectu, nomen actus

Duplex actus:

forma
et operatio.

(1) S. Thom., lib. 9 Metaph., lect. 3, paragr. h.

(2) S. Thom., lib. 9 Metaph., lect. 5, paragr. c. Cfr. ibid. Fonseca., cap. 6.

(3) S. Thom., cum Arist., lib. 9 Metaph., lect. 5, paragr. b.

primo attributum fuit operationi, sic enim quasi omnes intelligunt actum: secundo autem exinde fuit transmissum ad formam, in quantum forma est principium operationis et finis. Unde et similiter duplex est potentia: una activa, cui respondet actus, qui est operatio; et huic primo nomen potentiae videtur fuisse attributum: alia est potentia passiva, cui respondet actus primus, qui est forma, ad quam similiter videtur secundario nomen potentiae devolutum. Sicut autem nihil patitur, nisi ratione potentiae passivae; ita nihil agit, nisi ratione actus primi, qui est forma (1).

Actio et passio: Actus secundus seu operatio, prout fluit ab agente dicitur *actio*, et prout recipitur a passo vel patiente, *passio*.
 forma: Forma generatim est perfectio vel ratio, qua res est id, quod est, vel id, quo res in certo gradu entis ac perfectionis constituitur; vel id unde res determinationem aliquam habet. Ac duplex potest esse, *substantialis* et *accidentalis*.
 substantialis et accidentalis: Actus seu forma substantialis est id, quo aliquid in certo gradu essentiae ac specie constituitur: sic anima rationalis est forma substantialis hominis: accidentalis forma est id, quo res in certa natura specifica existens, hoc vel illo modo afficitur vel determinatur, quin propterea speciem suam amittat. Hoc modo albedo est actus accidentalis, et ipsae etiam activae potentiae atque habitus respectu subjecti, in quo sunt, actus seu formae accidentalis rationem habent (2).
 Actus essendi: Praeter duplicem hunc actum datur *actus essendi*, qui respondet objectivae potentiae, et per quam res dicitur formaliter *existere*, vel *esse in rerum natura*, desinitque esse pure possibilis. Et ejusmodi *actus essendi* vel *existentiae* vocari a multis solet *actus entitativus* (3).

(1) S. Thom., de *Potent.*, quaest. 1, art. 1. Cfr. 1, p. quaest. 48, art. 5; 2.^a dist. 25, quaest. 1, art. 1; 1.^o dist. 7, quaest. 1, art. 1 ad 2.^{um}; de *Malo*, quaest. 1, art. 4 et 5.

(2) Nota autem formam accidentalem, quamvis respectu operationis consentaneae dicatur actus primus, at comparatione substantiae, quam informat, seu actuat, potius esse dicendum *actum secundum*, quia nempe supponit ante se actum substantialem.

(3) Vide Suarez, disp. *Metaph.* 13, sect. 5; Mayr., Part. 2, disp. 1, q. 5, a. 1, n. 309; Joan. a S. Thoma, *Physic.*, q. 3, a. 2; Lössada, *Physic.*, tract. 1, disp. 2, cap. 3, n. 8. Nota autem hujusmodi actum

Actus deinde dividitur in *subsistentem* et non *subsistentem* seu *informantem*, *purum* et non *purum*, *physicum* et *metaphysicum*. Actus seu forma subsistens est ille, qui in se subsistit, nec informat vel actuat aliquod subjectum, v. g. natura angelica: actus informans est ille, qui subjectum aliquod actuat: hujusmodi est anima brutorum et albedo etc. Actus purus est ille, qui nulli admixtus est passivae potentiae, nimirum qui neque actuat potentiam vel subjectum aliud, nec est ipsa subjectum actuabile per alium actum: talis est Deus, actus purissimus ac sincerissimus omnis perfectionis. Actus vero non purus est ille, qui admixtam habet aliquam potentialitatem, seu passivam potentiam: et hujusmodi actus est omnis essentia creata, quae utcumque perfecta excogitetur, semper est perfectibilis ulterius per actum saltem accidentalem superadditum. Dixi actum purum, carere omni *passiva potentia*, potentia enim activa non destruit rationem actus puri, tum quia nec est de essentia ejusdem perfici per actum suae operationis eumve in se recipere, tum etiam quia potentia activa, sumpta in sensu transcendentali, de qua sola nunc loquimur, non necessario est actus alicujus potentiae passivae: et ideo in Deo, actu purissimo, adest infinita potentia activa. Actus *physicus* est actus realiter distinctus a potentia sibi consentanea; *metaphysicus* autem est actus a potentia per solam rationem distinctus, qualis est v. g. differentia specifica respectu generis. Nihilominus actus *metaphysicus* vocantur etiam nonnulli, qui in multorum sententia distinguuntur realiter a potentia, ut existentia dicitur actus metaphysicus essentiae, et subsistentia naturae (1).

Comparatis inter se potentia et actu, quorum hactenus et notiones et divisiones exposita sunt, sequentes efflorescunt propositiones:

entitativum in sententia eorum, qui actualem essentiam in rebus creatis ab existentia realiter distinguunt, duplicem concipi posse, alterum *essentialem*, quo essentia ipsa in ratione realitatis non pure possibilis constituitur, et alterum *existentialem*, quo nimirum essentia actualis seu non pure possibilis formaliter *existens* redditur. Cfr. Magist. Bayona apud Lössada, loc. cit.

(1) Cfr. Suarez, disp. 13 *Metaph.*, sect. 5, n. 8.

Actus subsistens et non subsistens vel informantis,

purus et non purus,

physicus et metaphysicus.

219. PROPOSITIO 1.^a Cuilibet potentiae, tam activae quam passivae, respondet proprius actus sibi proportionatus, sed diversimode: nam potentiae passivae correspondet semper aliquis actus formalis actuans et perficiens ipsam, potentiae vero activae, ut sic non respondet actus formaliter actuans ipsam, sed ab eo manans (1).

Cuilibet
potentiae respon-
det actus

Prima pars de potentia tum activa tum passiva potest eodem argumento facile probari; quia omnis potentia tota quanta ordinatur ad actum: unde nec definiiri nec intelligi a nobis potest, nisi per habitudinem ad illam. Si enim est virtus activa, alicujus operationis ac termini activa sit, oportet: itemque si potentia passiva est capacitas recipiendi, debet esse actus alicujus vel formae receptiva. Ergo potentiae omni actus aliquis respondeat, necesse est (2).

isque
proportionatus,

Secunda pars «de proportionem ex terminis ipsis est manifesta, nam si potentia respicit actum, et actus respondet potentiae, necesse est, ut inter se servent proportionem. Item si potentia sit passiva, oportet ut capacitatem habeat ad recipiendum actum, et ut actus habeat aptitudinem ad actuandam illam: et haec est proportio inter talem potentiam et actum requisita. Si vero potentia sit activa, oportet ut aliquo modo in se contineat suam actionem, et vim ac perfectionem ad elicendam illam; et haec est proportio requisita in illa potentia» (3).

et quidem activae
actus ab ea
procedens,

Tertia pars etiam probatur. «Potentia enim activa ut sic non est ad recipiendum, sed ad agendum. Ergo actus illi correspondens non debet esse per modum receptionis vel informationis, sed per modum emanationis tantum» (4). Quod vero e contrario potentia passiva per actum suum actuetur, illum in se suscipiendo, patet ex ipsis terminis; est enim potentia receptiva.

passivae autem
actus illam actu-
ans vel
informans.

(1) Suar. disp. 4; *Met.*, sect. 5, n. 2, et n. 9.

(2) Plura dabit Suarez, qui videndus est loc. cit., n. 2-5.

(3) Suarez, disp. *Metaph.* 43, sect. 5, n. 9.

(4) Suarez, loc. cit., n. 5, ubi plura require usque ad n. 9; quae clariora fient ex dicendis alibi de actione ac passione.

220. PROPOSITIO 2.^a Actus et potentia sunt contraria, nimirum opposita, et quidem relative, aut etiam private.

Relative opponuntur, quia potentia ordinem ac respectum importat ad actum; private autem, quia potentia importat etiam actus carentiam.

Actus et potentia
relative et
private
opponuntur.

221. PROPOSITIO 3.^a Potentia separabilis est ab actu.

Haec assertio est Aristotelis contra Megaricos seu asseclas Zenonis Eleatensis, propterea sic dictos, quemadmodum censet post Alexandrum Fonseca (1), quod Megaris Philosophiam docuerit Zeno. Sententia illorum erat, potentias tunc solum dari in natura, cum actu operantur, nullam autem esse potentiam operandi, sive ante sive post ipsum actualis operationis momentum. Et simile portentum fingi posset etiam de passiva potentia respectu sui actus, nempe receptivam capacitatem tum solum inesse rebus, quam actu forma ipsis ab agente imprimitur. Cum quo etiam affinitatem habet error illorum, qui ut mox dicemus, nihil esse pure possibile autumarunt, sed ea tantum esse possible, quae actu sunt; quae autem actu non sunt, esse impossibilia.

Sententia
Megaricorum
negativam
potentiam separa-
ratam ab
actu

Verum ut alia omittamus in re nimis perspicua, paradoxum hoc contra sensum communem omnium hominum est. «Vocamus enim artifices non tantum eos, qui actu operantur, sed etiam eos, qui aut nondum operantur, si aliquam artem sibi compararunt, aut postquam operati sunt, ab opere destiterunt: nec certe alia de causa, nisi quia potentiam artificiosae aliquid operandi habent, ut aedificatorem eum, qui aedificandi facultate praeditus est; et sic caeteros, neque enim aliud quicquam aedificatoris nomine, quatenus aedificator est, concipere possumus» (2). Praeterea si v. g. facultas artificiosae operandi tunc solum adesset, cum artificium efficitur, artifices passim amitterent artem momento, sine oblivione, morbo aut desuetudine operandi, nempe simul ac ab opere cessarent; itemque eandem assequerentur

excluditur.

(1) Lib. 9 *Metaph.*, cap. 3.

(2) Fonseca, *ibid.* in Commentario, litt. b, ex Arist.

absque ullo labore, nullius ope magistri nulloque studio vel inventionē, quando nimirum manus operi admovendæ essent. Quæ quàm sint absurda et ridicula, quis non videat? (1). Denique si potentia videndi aut audiendi tunc solum revera existit, cum quis videt vel audit, ille qui nec videt actu, nec audit, non potest videre nec audire. Sed qui non potest videre, cæcus est, et surdus, qui nequit audire. Ergo postea cum iterum visio subsequetur vel auditio, cæcus videbit et surdus audiet. Et ita etiam omnes homines sæpius in die cæci erunt ac surdi, vel paralytici, etc. (2)

222. PROPOSITIO 4.^a Potentia distinguitur ab actu, et quidem realiter ac specificè (3).

Potentia
distinguitur
ab actu realiter,

Prima pars de reali distinctione probatur. Primo in communi, quia respectus potentia ad actum realis est. At realis relatio est signum realis distinctionis. Deinde in particulari: quia potentia activa est principium effectivum sui actus; non est autem vera efficiens nisi inter ea, quæ re distinguuntur. Potentia autem receptiva est causa materialis sui actus; et e converso actus est forma talis potentia, eam vere et intrinsece efficiens (4). Ergo huiusmodi actus et potentia necessario distinguuntur in re ipsa (5). Unde Aristoteles (6) tamquam manifestum sumit, potentiam et actum, aliud et aliud esse: ut inde concludat rem, quæ est in potentia, non semper esse in actu, contra antiquos, qui oppositum asseruerunt. «Ex quo sumitur nova confirmatio, nam potentia est separabilis a suo actu in re ipsa. Ergo distinguuntur in re» (7).

Dices 1.^o Interdum solum differunt ratione actus et potentia, ut patet in differentia et genere. Resp. id verum

(1) Vide Aristot., lib. 9, cap. 3. Cfr. S. Th., lib. 9 *Met.*, lect. 3.
(2) Arist., ibid. Cfr. S. Thom., ib.

(3) Vide Suar., disp. 43 *Met.*, sect. 5, n. 9, seqq.

(4) Non enim hic est sermo de potentia pure extrinsece aliquid recipiente, ut vas recipit aquam per solum contactum absque physica unione.

(5) Cfr. S. Thom., 1 p., q. 41, a. 4 ad 3.^{um}

(6) Lib. 9., cap. 3.

(7) Suar., disp. *Met.* 43; sect. 5, n. 10.

esse in actu et potentia logicis vel metaphysicis, non vero in physicis, de quibus solis agimus in hisce assertionibus.

Dices 2.^o Idem Aristoteles docet potentiam et actum non facere multa, sed unum (1).—Resp. «Non est sensus, ipsa esse unum et idem, sed componere unum: loquitur enim de potentia receptiva et actu formali. Et eodem fere sensu ibidem ait, quod prius erat in potentia, postea esse in actu, non quia ipsamet potentia receptiva fiat actus, sed quia eadem, quæ prius carebat actu, postea sub illo constituitur. Quamvis etiam intelligi possit, non de potentia et actu, de quibus nunc loquimur, sed de re, quæ dicitur esse in potentia per non repugnantiam vel denominationem a potentia agente vel recipiente. Sic enim illa eadem res, quæ prius erat in potentia, reducitur ad actum, cum fit...» (2).

«Est autem hic observandum distinctionem hanc inter actum et potentiam non semper esse æqualem, nam interdum est proprie et in rigore realis, interdum sufficit modalis, nam etiam modus est actus per modum formæ ejus rei, quam modificat, et potest etiam ab illa effective fieri. Quando vero hæc distinctio sit realis, quando vero solum modalis, ex particulari natura uniuscujusque actus et potentia et ex aliis effectibus vel signis colligendum est» (3).

Probatur secunda pars propositionis de distinctione essentiali seu specificæ. «Nam potentia et actus distinguuntur secundum rem, et differunt secundum habitudines omnino diversas et oppositas. Ergo differunt secundum essentialem rationem.»

«Dices: Etiam actio et passio differunt secundum diversas habitudines, et tamen in re non differunt», ut nunc supponimus.—«Respondetur actionem et passionem, eo modo quo concipiuntur ut diversa, distingui essentialiter, cum distinguantur in genere et prædicamento. Quod vero non distinguantur secundum rem, ideo est, quia illæ habitudines non sunt oppositæ, sed potius necessario connexæ in una et eadem mutatione; actus vero et potentia non solum

et specificæ.

(1) Lib. 8 *Met.*, c. 6.

(2) Suar., disp. 43 *Metaph.*, sect. 5, n. 11.

(3) Suar., ibid., n. 12.

dicunt diversas habitudines, sed etiam oppositas, immo sese respiciunt tamquam terminos illarum habitudinum. Et ideo cum aliunde habitudines sint diversarum rationum, necesse est, ut actus et potentia non solum in re distinguantur, sed etiam diversificentur in suis rationibus formalibus seu essentialibus. Quod etiam inductione ostendi potest, sive sumantur potentia et actus transcendentaliter, ut patet in materia et forma, et in quolibet principio activo et ejus actione, sive prædicamentaliter... Intellectus enim et intelligentia essentialiter differunt: et sic de cæteris» (1).

Quæres num actus et potentia, sicut specie atque essentialiter differunt, sic e contrario convenire debeant in eodem genere. Huic quæstioni mox responsio afferetur in alia propositione, in qua declarandum est, quo sensu dicatur *actus et potentia esse in eodem genere*.

225. PROPOSITIO 5.^a Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum.

Frustra est
potentia, quæ
non reducitur ad
actum.

Desumitur hoc axioma ex Aristotele in libro primo de *Cælo et Mundo* (2). Verum, ut vera principii hujus intelligentia pateat, distinguenda est potentia in proximam et remotam, itemque proxima in liberam et necessariam. Actus etiam vel talis est, ut solius illius gratia potentia existat, vel talis ut non propter illum dumtaxat potentia instituta sit: deinde actus, ad quem redigenda foret potentia, sumi potest vel in specie vel in individuo. Demum, quod potentia non redigatur ad actum, bifariam contingere potest, vel ab intrinseco, vel solum ab extrinseco propter aliquod extrinsecum principium actum illum impediens. Itaque axioma ut veritatem habeat intelligendum videtur: α) de potentia unice instituta et existente propter actum: β) de potentia physica et naturali: γ) de potentia proxima et necessaria, quæque ab intrinseco impediatur ab actus assecutione: δ) ac demum de potentia respectu actus specificæ sumpti.

Probatur primum α). Nam illud est frustra in rerum natura, cujus nullus est finis. Atqui nullus est finis potentiæ

(1) Suar., disp. 43, sect. 5, n. 13.
(2) Text. comm. 32.

existentis unice propter aliquem actum, nisi ad illum redigatur; quia si unice propter illum existit, ille est unicus finis talis potentiæ. Quare si hæc ad illum non redigitur, frustratur unico fine suo, ideoque frustra est, quod est ad aliquem finem, quem non potest attingere (1). Audiatur iterum Aquinas: *Omne quod est in natura, vel est a Deo, sicut primæ res naturales, vel est a natura, sicut a secundæ causa, puta inferiores effectus. Sed Deus nihil facit frustra, quia cum sit agens per intellectionem, agit propter finem. Similiter natura nihil facit frustra, quia agit sicut mota a Deo, velut a primo movente, sicut sagitta non movetur frustra, in quantum emittitur a sagittante ad aliquod certum. Relinquitur ergo, quod nihil in natura sit frustra* (2). Ex hac doctrina ostendit Angelicus corpus gloriosum non frustra habiturum esse illa quoque membra et instrumenta, quibus nullus erit usus ratione illius præstantissimi status, quia nempe oportet, ut remaneant in corpore propter integritatem naturæ, et quia sic *virtus potentialium animæ per corporea instrumenta demonstratur, ut ex hoc commendatur Dei sapientia* (3). Jam quoniam tum præcise ordinatur potentia ad actum, cum naturale suum complementum per illum assequitur: *res non dicitur esse imperfecta, quacumque potentia in ipsa non reducta ad actum, sed solum quando per reductionem in actum res suum consequitur complementum* (4).

Probatur alterum β). Si enim nomine potentiæ intelligatur pura potentia logica, sensus axiomatis foret, frustraneam esse possibilitatem rerum, quæ non veniunt ad actum existentis: unde sequeretur non dari posse mere possibilea, et omnia quæcumque possibilea sunt, necessario existere. Item axioma interpretandum est de potentia naturali, non vero de potentia obedienciali. Potentia enim obediencialis non est naturaliter ordinata ad actum, respectu cujus dicitur obediencialis, nec est ob illum solum instituta: quare licet

(1) S. Thom., de *Potent.*, quest. 1, art. 2, ad 1.^{am} Cfr. 1 p., quest. 25, art. 2, ad 2.^{am}

(2) S. Thom., lib. 1 de *Cæl. et Mund.*, lect. 8, paragr. i.

(3) S. Thom., 4.^a dist. 44, quest. 1, art. 2, sol. 1, ad 1.^{am} Cfr. *Quodlib.* 10, art. 8, ad 3.^{am}

(4) S. Thom., de *Potent.*, quest. 5, art. 5, ad 7.^{am}

illum minime assequatur, non ideo frustra esse dici potest (1).

Prob. tertium γ) Potentia enim in primis solum remota et radicalis non repugnat, quominus sit sine actu, immo habere illum nequit, nisi prius proxima fiat. Et similiter nihil vetat, quominus potentia libera careat actu, quia non est instituta præcise propter actum, sed propter actum vel carentiam actus, est enim ad utrumlibet indifferens (2). Sicut nullus est defectus vel inordinatio in natura, si potentia solum ex extrinseco impedimento nequeat actum suum habere.

Denique δ) per se patet potentiam non frustra esse tantum propterea, quod non reducatur ad omnes individuos actus, ad quos posset reduci. Quemadmodum e converso, ut non censeatur frustranea potentia, necesse non videtur, ut in actum reducatur in omnibus prorsus individuis, quibus talis inest potentia. Sic potentia ridendi in humana natura non foret frustranea, licet non exerceretur in omnibus individuis (3).

Quæ cum ita sint facile solvuntur instantiæ, quæ in variis materiis fieri solent contra veritatem ex hoc effato. Ac nominatim perperam ex illo axioma deduceres, Deum infinitum non esse, propterea quod infinita potentia nequeat in actum reduci. Primo quia potentia infinita re vera reduci potest in actum eo modo, quo reducibilis est, nimirum producendo semper aliquid, quod finitum est. Præterea si potentia infinita Dei nequit reduci in actum, qui sit infinitus, non est ex defectu potentiæ, sed ex repugnantia infiniti, qui sit ens factum seu productum. Verum de his alibi plura. Adde quod etiamsi Deus nihil creasset, non posset quidpiam contra ejus infinitam potentiam ex prædicto axioma concludi; et quia libera est, et quia non ordinatur

Objecta
quædam
præoccupantur.

(1) Cfr. S. Thom., *de Verit.*, q. 8, a. 4, ad 13.^{um}; *de Potent.*, q. 1, a. 1, ad 2.^{um}

(2) Cfr. de hoc axioma P. Joann. Ulloa in *Prodromo*, disp. 1, cap. 11, n. 306 seqq.

(3) Cfr. Signoriello, *Lexicon peripateticum*, litt. E, num. XXI, 1 pag. 146, Neapoli 1881.

ad effectus tamquam ad finem, sed e converso ipsa est finis aliarum omnium rerum (1).

Perperam etiam inferres ex eodem axioma materiam primam debere in se recipere omnes præcise actus, quos posset suscipere. Nam sufficit, ut habeat actum illum, qui ex actione naturalium causarum hic et nunc sibi imprimitur.

224. PROPOSITIO 6.^a Potentiæ distinguuntur et specificantur per actus; actus autem per objecta formalia.

Est principium quod passim invocari solet habetque frequentissimam applicationem.

Et ratio primæ partis est, quia omnia...., quæ dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum, ad quæ dicuntur (2). Atqui potentiæ prout tales ordinantur ad actus (3). Ergo...

Major est manifesta, quia omnis causa sapienter agens eam cuique rei specificam perfectionem assignat, quam postulat finis, ad quem illa ordinatur, sicut serra est hujusmodi, et quantum ad formam et quantum ad materiam, ut sit conveniens ad finem suum, quod est secare (4). Nec minus est manifesta Minor, quia potentia prout potentia est, actum respicit tamquam proprium suum terminum.

Secunda pars. Quia objectum se habet respectu actus, sicut principium vel causa et sicut terminus: sicut principium, respectu actus, qui sit potentia, sicut terminus vero, respectu actus potentiæ activæ. Atqui actus speciem sumit a principio ac termino. Ergo... (5).

Nilominus ex Avicenæ doctrina, quam approbat et amplectitur Aquinas, non quæcumque actuum diversitas diversificat potentiam, sed diversitas actus quandoque indicat diversitatem potentiarum, quandoque non. Quinque enim modis in actibus animæ diversitas inveniri potest: uno modo secundum

Potentia
specificantur
per actus;

actus vero per
objecta.

Notandum
temperamentum.

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 25, art. 2 ad 2.^{um}; S. Bonavent., 1.^o dist. 43, art. 1, quæst. 3, ad argum.

(2) S. Thom., 1. 2, q. 54., art. 2, corp.

(3) Vide S. Thom., 1 p., q. 77, a. 3; 4.^o dist. 7, q. 2, art. 1, sol. 2; *de Verit.*, q. 15, a. 2; *de Anima*, art. 13. *de Malo*, q. 1, a. 21.

(4) S. Thom., *de Verit.*, q. 15, a. 2.

(5) Vide S. Thom., 1 p., q. 77, a. 1. Cfr. *de Verit.*, q. 15, a. 2, ubi pulcherrime res exponitur; et *de Anima*, art. 13.

fortitudinem et debilitatem, sicut opinari et credere: alio modo secundum velocitatem et tarditatem, sicut currere et moveri: tertio modo secundum habitum et privationem, ut quiescere et moveri: quarto modo secundum comparisonem ad contraria ejusdem generis, ut sentire album et nigrum. Quinto modo est, quando actus est diversorum generum, ut apprehendere vel moveri vel sentire sonum et colorem. Diversitas igitur primi et secundi modi diversitatem potentiae non indicat, quia sic oporteret tot esse potentias animae distinctas, quot gradus fortitudinis vel debilitatis, vel velocitatis vel tarditatis inveniantur in actibus. Similiter etiam nec diversitas tertii et quarti modi, cum ejusdem potentiae sit operari ad utrumque oppositum. Sola autem diversitas quinti modi indicat diversitatem potentiae, ut dicamus actus genere diversos, qui in ratione objecti non conveniunt (1). Ita etiam quicumque actus se habet per accidens respectu potentiae, non illam diversificat. Sed tamen considerandum est, inquit S. Thomas, quod ea, quae sunt per accidens, non diversificant speciem. Quia enim coloratum accidit animali, non diversificantur species animalis per differentiam coloris, sed per differentiam ejus, quod per se accidit animali, per differentiam scilicet animae sensitivae, quae quandoque invenitur cum ratione, quandoque sine ratione. Sic igitur non quaecumque diversitas objectorum diversificat potentias animae, sed differentia ejus, ad quod per se respicit (2)... Brevi sola illa diversitas actuum diversificat potentias, quae nequit reduci ad idem principium, vel illa sola, quae est ex diversitate objectorum, a quibus specificantur actus, ut motus a termino, id est objectorum formalium (3). Sed, de his accuratius agendum, ubi de specificatione potentiarum animae.

Potentia non specificantur per actus intrinsecos.

Ceterum bene observa potentiam specificari per actum, non ut per intrinsecam differentiam, sed per terminum intrinsecam habitudinis potentiae ad actum (4).

(1) S. Thom., de Verit., q. 15, a. 2 ad 12.^{um}; Cfr. ibid., art. 1, vers. fin. corp.

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 77, art. 3.

(3) S. Thom., de Verit., q. 15, a. 1; 1 p., q. 77, art. 10, ad 3.^{um}; 1, 2, q. 54, a. 1, ad 2.^{um}; 2.^a dist. 24, q. 2, a. 2, ad 5.^{um}; 3.^a dist. 33, q. 1, a. 1, solut. 1.

(4) Suárez, disp. 43, sect. 6, n. 25.

225. PROPOSITIO 7.^a Idem respectu ejusdem nequit esse simul in actu et potentia.

Et ratio est, quia si quid est in potentia ad actum vel perfectionem habendam, plane caret illa; si vero est in actu respectu perfectionis, habet illam. Atqui habere actum perfectionis eoque carere pugnant inter se. Plura de his, cum alibi exponendum erit illud aliud axioma: *Omne quod movetur, ab alio movetur.*

Idem respectu ejusdem non est in actu et in potentia.

226. PROPOSITIO 8.^a Nihil reducitur de potentia in actum, nisi per ens actu.

Ratio, quia reductio de potentia in actum locum habere nequit, nisi media aliqua actione. Nihil autem agere potest, nisi actu sit per existentiam et per formam, quae sit operationis principium.

Nihil reducitur de potentia in actum, nisi per ens actu.

227. PROPOSITIO 9.^a Actus est qui distinguit seu separat.

Intelligi potest hoc axioma. 1.^o de actu metaphysico, ut sensus sit per actum metaphysicum seu differentiam specificam distingui ac separari unam speciem ab alia. Intra eandem autem speciem distinctio ac separatio individuorum desumi nequit ex actu metaphysico, quippe qui in omnibus aequae reperitur. 2.^o de actu physico seu reali, qui duplex esse potest: entitativus et formalis. Actus entitativus est actus existentiae, formalis vero quaevis forma sive substantialis sive accidentalis. Si ergo axioma sumatur de actu entitativo, veritatem non habet saltem in sensu formali, quia una res ab alia non distinguitur, ac separatur primario per hoc quod habeat existentiam, sed per suam propriam entitatem essentialem. Quin etiam ideo una existentia ab altera distinguitur, quia est actus distinctae essentialis. Dixi saltem in sensu formali, quia pro his qui essentialiter actualem cum existentia identificant, actus existentiae, utpote cum ipsa essentia identificatus, in sensu reali dici potest distinguere. Denique loquendo de actu formali, formae substantialis, verum est axioma de omni corpore. Nam unum compositum corporeum ab alio distinguitur per formam, ut per

Actus est qui distinguit.

actum constituentem atque in certa specie reponentem: et materia ipsa diversorum corporum distingui potest per habitudinem ad diversas formas.

Cæterum bene notandum est, ut unum ab alio distinguatur, non necessario requiri actum realem ac realiter superaditum: secus enim ipsæ formæ inter se distingui non possent absque alio actu superveniente, et sic abeundum foret in infinitum. Quare simplices entitates per suammet simplicem actualitatem distinguuntur, atque invicem separantur (1).

228. PROPOSITIO 10. **Potentia et actus sunt in eodem genere.**

Potentia et actus
sunt in
eodem genere.

Desumitur axioma ex Aristotele (2); intelligentia vero ejusdem non est satis clara ob multas instantias, quæ fieri possunt. Substantia enim corporea v. g. est potentia respectu quantitatis, quæ est actus ejusdem; substantia etiam animæ respectu potentiarum, et idem dicitur de aliis sexcentis, quæ sane non sunt in eodem genere, sed ad diversa prædicamenta spectant. Ut ergo recte declaratur axioma.

Explicatur
axioma;

Primus sensus posset hic esse; ut potentie nomine veniat logica, seu res possibilis, ita ut per prædictum effatum hoc tantummodo significetur, rem quamcumque, dum est possibilis ac dum est actu existens, ejusdem esse generis. Et hæc est interpretatio Scoti apud Suarezium (3), verissima quidem quoad rem ipsam, quia res possibilis et res eadem existens procul dubio ad idem spectant genus, et ad eandem etiam speciem, immo sunt eadem res in individuo *negative*, ut ajunt, quia nimirum non sunt duæ res, sed eadem in diversis statibus concepta; nihilominus non videtur hic sensus intentus fuisse a Philosopho, nec est conformis communi auctorum interpretationi (4).

(1) Vide Suar., disp. *Met.* 13, sect. 11, n. 9; Ulloa, *Prodr.* disp. 4, cap. 18, n. 190, seqq.; Reeb. *Thesaurus Philosoph.* seu *Distinctiones et Axiomata*, secunda pars., A. n. VI. Cfr. S. Thom., lib. 7 *Metaph.*, lect. 13, paragr. h.

(2) *Metaph.*, lib. 12, text. comm. 26.

(3) Suar., disp. *Met.* 14, sect. 2, n. 12.

(4) Suarez, *ibid.*

«Dicendum ergo est axioma illud communiter intelligi de propria potentia receptiva vel activa. Ut autem verum sit, intelligendum est in primis de potentia per se primo instituta et ordinata ad talem actum, non vero de potentia vel capacitate intrinsece inclusa et quasi concomitante aliquam entitatem absolutam. Declaratur hoc, nam duobus modis intelligi potest, quod aliqua virtus tam activa quam receptiva comparetur ad actum: uno modo, quia ex primaria ratione et essentia sua ordinata est ad talem actum; sic materia est potentia ad formam..., sic gravitas est virtus activa ad efficiendum motum deorsum, vel permanentiam in eodem loco deorsum, sic denique intellectus est virtus activa et receptiva intellectionis. Hujusmodi ergo potentia dicitur per se primo instituta propter actum, et ideo ab illo sumit speciem; et de illa ad summum potest axioma illud verificari modo statim declarando. Alio vero modo potest aliqua entitas habere vim vel capacitatem ad aliquam actionem vel actum, non quia propter illud primario sit instituta, sed quia vel ob eminentiam naturæ suæ, vel ob naturalem conditionem aut modum essendi, quem habet, quasi concomitanter vel potius connaturaliter habet per seipsam talem vim vel aptitudinem. Sic Deus habet omnipotentiam agendi: sic etiam creatura intellectualis habet et capacitatem et vim activam obedientialem supernaturalium actuum vel donorum: sic denique substantia naturalis est capax quantitatis, et quantitas ipsa est capax qualitatum. Et in hoc posteriori genere potentie vel capacitatis non est necesse potentiam seu capacitatem et actum esse in eodem genere; quia cum talis potentia non sit ordinata per se primo ad actum, nec sumat ab illo speciem suam, nec componat cum ipso actu unum per se, non est cur talis potentia et actus in eodem genere collocanda sint.

«Nec D. Thomas unquam de hoc posteriori genere potentie, sed de priori locutus est, ubicumque scribit actum et potentiam esse in eodem genere: et de eodem exponendus est Averroes (1), si ejus dicta defendere necesse sit» (2). Et quantum attinet ad Aquinatem, hanc fuisse mentem

(1) In locis citatis apud Suar., disp. *Met.* 14, sect. 2, n. 3.

(2) Suar., *ibid.*, n. 13.

ipsius vel inde patet, quod disertis verbis scribit, non oportere, quod in eodem genere ponantur potentiae et actus, praecipue de potentiis activis (1). In eundem modum etiam interpretatur Cardinalis Cajetanus (2) et Chrysostomus Javellus (3) hoc effatum, «de potentia nimirum essentialiter ordinata ad talem actum, sive sit receptiva sive activa», atque posse rem unius praedicamenti esse immediatum receptivum rei alterius praedicamenti.

«Ut vero principium illud exacte maneat declaratum, addere oportet, duobus modis intelligi posse, potentiam prioris ordinis (nempe potentiam per se primo institutam et ordinatam ad actum) et actum esse ejusdem generis: primo *ut genus late sumatur* pro generalibus rationibus substantiae et accidentis, ita ut potentia per se ordinata ad actum substantialem sit substantialis, ad accidentalem accidentalis; non vero quod in rigore necesse sit potentiam et actum esse ejusdem praedicamenti accidentis, quamvis in substantia id verum sit, eo quod substantiae tantum est unicum praedicamentum. Et haec expositio multis placet, quia evitat multas difficultates. Alii vero etiam in accidentibus volunt potentiam hujusmodi et actum ejus ad idem praedicamentum in rigore pertinere, quia alias non est in rigore verum, potentiam et actum esse ejusdem generis. Sed hoc in universum defendere difficile est, praesertim in potentiis activis. Quapropter probabiliter dici potest, potentiam passivam accidentalem (4)... quando ex primaria institutione vi suae essentiae ordinata est ad actum, sub eodem genere et praedicamento cum suo actu contineri. Et de hac potentia videtur loqui D. Thomas et Commentator citatis locis; sub potentiis autem passivis potentias animae comprehendimus, quae licet activae etiam sint, simul tamen sunt passivae, et in passione ac receptione seu informatione habent consummatam perfectionem suam.»

«Hoc autem modo explicata haec assertio probari potest inductione in omnibus potentiis, nam habitus et actus eorum

(1) 1.^o dist. 7, q. 1, a. 2 ad 2.^{um}

(2) Comment., in 1 p., q. 77, a. 1. *Ad evidentiam solutionum...*

(3) *Metaph.*, lib. 9, quaest. 1, *Quantum ad quartum.*

(4) Idem dicatur de potentia passiva substantiali per se ordinata ad actum, qualis est materia prima.

in eodem genere in rigore collocantur. Licet enim actio ut actio pertineat ad praedicamentum actionis, tamen ut actus vitalis habens esse consummatum et perfectum in suo genere, collocatur in praedicamento qualitatis: cum autem potentia comparatur ad actum, et ad id genus pertinere dicitur, non est comparanda ad actum in fieri, sed ad actum perfectum et consummatum, ad illum enim per se primo ordinatur, et ab illo speciem recipit. Eta ita nullum invenio exemplum, in quo haec regula deficiat.»

«Ratio autem reddi potest, quia quando potentia receptiva per se est ordinata ad actum, comparatur ad illum, ut imperfectum ad perfectum in suo genere, et quodammodo per se unum videtur in illo ordine constituere cum suo actu, ut potentia intellectiva cum actu intelligendi per se conjungitur: et sic de aliis. Et ideo oportet, ut talis potentia et actus sub eodem genere collocentur, ut ita etiam inter se majorem proportionem servent.»

At vero in potentiis activis, etiamsi sint per se primo ordinatae ad agendum non videtur necessarium, quod potentia et actus sub eodem genere in rigore contineantur. Nam si per actum hujus potentiae intelligamus actionem, ut actio est, constat potentiam et actionem ac diversa praedicamenta pertinere. Si autem per actum hujus potentiae intelligimus terminum formalem actionis ejus, non est necesse collocari in eodem praedicamento, ut probat exemplum supra adductum de gravitate: quod in universum adduci potest de potentia secundum locum motiva, sive progressiva sit, sive attractiva, sive expulsiva aut impulsiva, vel impulsus ipse, quem multi existimant esse qualitatem, et tamen non ordinatur ad faciendam qualitatem, sed motum vel *ubi*.

Et ratio reddi potest, quia potentia activa, ut sic, non ordinatur ad actum, ut imperfectum ad perfectum, neque ut cum illo componat aliquid per se unum, sed ut causa extrinseca ad effectum. Fieri autem potest, ut causa activa non sit ejusdem rationis aut generis cum effectu, sed eminentioris. (ut patet in causis non univocis); et ideo non est necesse, ut in eodem praedicamento cum suo actu collocetur. «Quamquam necessarium videtur, si actus maxime proprius talis potentiae sit accidentalis, etiam potentiam ipsam esse

accidentalem, quia substantia ut sic non ordinatur per se primo ad accidentalem actum. Erit ergo talis potentia accedens, quamvis sub nobiliori genere accidentis collocetur» (1).

229. PROPOSITIO 11.^a Actus prior est potentia.

Actus prior est potentia

Colligitur ex Aristotele (2) et fuse declaratur ab Angelico (3) ac saepe laudatur (4). Ut autem veri sensus a falsis secernantur facillius, nota actum posse comparari vel cum sua potentia logica, vel cum potentia physica sive passiva sive activa. Præterea notandum est prioritatem actus præ potentia intelligi posse vel duratione, vel substantia seu perfectione, his enim duobus nominibus eadem res hic designatur (5) vel denique cognitione ac definitione sive ratione. Primum itaque.

Actus relate ad potentiam logicam prior est perfectione

α) Actus ad logicam potentiam comparatus, manifeste prior est substantia seu perfectione, «quia unicuique rei melius est esse in actu, quam in potentia; immo absque esse in actu nulla est vera et realis perfectio, quæ in rerum natura saliquid sit... Et ideo simpliciter etiam comparando actum ad potentiam, melior est actus ex genere suo: quare cæteris paribus, quo res plus habet de actu magisque est separata a potentialitate, eo est perfectior. Et hinc etiam fit, ut cæteris paribus quo res minus est composita ex actu et potentia passiva et per se ipsam actualior est, eo sit perfectior, quia eo magis elongatur ab esse in potentia; huiusmodi enim esse in potentia maxime fundatur in potentia passiva aut in potentia logica cum extrinseca potentia activa

(1) Suar., loc. cit. n. 14, 15. Cfr. disp. 43, sect. 5, n. 13. Cfr. etiam Ulloa, *Prodrum.*, disp. 4, n. 40 seqq.; Joan. a S. Thoma, *Curs. Philos. Physic.*, q. 12, a. 2. *Ad tertiam instantiam; de Anima*, q. 7, a. 2. *Ratio autem a priori conclusionis*; Reeb, oper. cit. 2.^a pars. A. n. XIII; Signoriello, *Lexicon peripatet.*, A. n. XXXVI, pag. 37, Neapoli, 1881.

(2) *Metaph.*, lib. 9, text. 13, 19 etc.

(3) Lib. 9 *Metaph.*, lect. 7, 8, 9.

(4) 1 p. q. 3, a. 1 et 8; 1.^a *Contr. Gent.*, c. 16, arg. 2; lib. 2, cap. 16, arg. 10; *de Pot.*, q. 6, a. 6; q. 7, a. 1 etc.

(5) Vide S. Thom., lib. 9, *Metaph.*, lect. 8, initio.

Prioritas secundum perfectionem vocatur etiam quandoque a S. Thoma prioritas secundum naturam. Vide *Quodlib.* 5, art. 19.

causæ agentis» (1). In quo sensu verissimum est, id quod sæpissime scribit S. Thomas, esse inter omnia perfectissimum esse, quia est actus vel actualitas omnis perfectionis, ideoque perfectio omnium perfectionum (2).

Respectu vero temporis vel durationis, licet in ente ipso individuo, quod exit de potentia in actum ad esse, prius sit potentia, quam actus; nihilominus absolute ac simpliciter prior est actus, quam potentia, quemadmodum sæpe docet Angelicus (3). Et ratio primi est, quia prius est posse, quam esse; ratio autem secundi est, quia cum nihil possit de potentia transire in actum, nisi per aliquod ens actu, oportet præsupponere aliquod ens actu, seu actum existentem, ad hoc ut quippiam possibile actum suum entitativum sortiatur (4).

et duratione absolute loquendo;

Hic autem nota, quod attinet ad factum, esse veritatem fidei, quod in omnibus rebus creatis potentia objectiva duratione præcesserit actum, creatio enim mundi æterna non est, sed temporanea. Utrum autem secundum absolutam etiam possibilitatem in omni ente creato debeat necessario potentia objectiva duratione præcedere actum, pendet ex controversia, quæ inter Philosophos agitur circa possibilitatem aut repugnantiam æternæ creationis. Si enim repugnat, necessarium erit potentiam logicam duratione præcedere actum existentiam, siquidem omnis rerum creaturarum existentia tunc in tempore inchoanda necessario foret, dum earum possibilitas seu logica potentia, quia est ab æterno, nunquam habuit initium. Si vero non repugnet æterna creatio, potuit absolute loquendo possibilitas non præcedere existentiam duratione; si nimirum, Deus voluisset creare res ab æterno. Quamquam etiam in hac hypothesis potentia logica existentiam præcessisset, si minus duratione, saltem quodammodo ratione, quia cum res creatæ nihil sint, quantum

(1) Suar., disp. 43 *Metaph.*, sect. 6, n. 2.

(2) Vide S. Thom., 1 p., q. 4, a. 1 ad 3.^{um} a. 2; *de Potent.*, q. 7, a. 2 ad 6.^{um}

(3) 1 p., q. 3, a. 1, et 8, fin; 1.^a *Contr. Gent.*, c. 16, arg. 2; lib. 2, cap. 16, arg. 10; *de Pot.*, q. 6, a. 6; q. 7, a. 1; *de Spirit. creat.*, art. 10, etc.

(4) Vide S. Thom., lib. 9 *Metaphys.*, lect. 7, paragr. c.

est de se, nec possint actum existentiae habere nisi per alterius causalitatem, etiamsi aliquid ab aeterno creatum, fuisset, haberet intellectus fundamentum concipiendi essentiam illius quasi transeuntem ab statu possibilitatis ad statum existentiae (1).

Itemque
cognitione
ac definitione.

Denique relate ad cogitationem, definitionem vel rationem actus est prior potentia, quia *id per quod oportet alterum definiri, est prius eo ratione, sicut animal prius domine et substantia accidente. Sed potentia non potest definiri nisi per actum. Nam prima ratio possibilis in hoc consistit, quod convenit ipsum agere, vel esse in actu, sicut aedificator dicitur, qui potest aedificare, et speculator qui potest speculari, et visibile dicitur aliquid, quod potest videri, et sic est in aliis. Ergo est necessarium, quod ratio actus praecedat rationem potentiae, et notitia actus notitiam potentiae. Et propter hoc superius Aristoteles manifestavit potentiam definendo per actum, actum autem non potuit per aliquid aliud definire, sed solum inductive manifestavit (2).*

Ut autem res magis pateat, nota, «actum esse priorem potentia... in duplici sensu sumi posse: primo comparando res diversas, ita ut illa censeatur cognitione prior, quae plus habet de actu, minusque potentialitatis includit; quod est verum, si per illam prioritatem non intelligatur ordo aliquis inter huiusmodi res; ita ut una prius debeat cognosci quam alia, hoc enim non est necessarium, ut per se constat, sed intelligatur solum illa prioritas consistere in quadam majori aptitudine, quae ex parte talis rei est, ut cognoscatur: quomodo dixit Aristoteles (3), *sicut se habet aliquid, ut sit ens, ita se habet, ut sit cognoscibile*. Quod etiam est verum consideratis meritis rerum secundum se, nam quoad nos non ita semper contingit, ut latius diximus in disputatione nona, sectione ultima. Secundo modo intelligitur assertio, comparando eandem rem in potentia ad seipsam in actu; et sic praecipue loquimur, idque significat Aristoteles (4) dicens,

(1) Vide Suar., disp. cit., sect. 6, n. 7, 8.

(2) S. Thom., lib. 9 *Metaph.*, lect. 7, paragr. b.

(3) Lib. 2, text. comm. 4.

(4) Lib. 9, cap. 11. Cfr. S. Thom., lib. 9, lect. 10 fin.

quae sunt potestate non posse intelligi, nisi reducantur in actum, quia actus est principium cognoscendi unamquamque rem. Quod verum est etiam de actu existentiae, ac per se loquendo de scientia, quatenus ex rebus ipsis comparatur aut habetur. Quod in nobis manifestum est; non enim possumus cognitionem rerum consequi, nisi a rebus existentibus initium sumamus. Neque enim res possibles cognoscimus, nisi ex actualibus; neque praeteritas aut futuras, nisi ex iis, quae aliquando praesentes fuerunt; neque privationes cognoscimus, nisi ex rebus positivis; neque entia rationis, nisi ex realibus. Et ratio in nobis est clara, qui sumimus scientiam ex rebus, immo et per sensum illam accipimus; non possunt autem sensus immutari, nisi a rebus actu existentibus.

«Verumtamen non solum in nobis, sed etiam in Deo ipso hoc verum est, si recte et accommodate intelligatur, quia etiam Deus ipse omnem suam scientiam habet primo et per se circum rem actu existentem vel ex re actu existenti, nam primo et per se cognoscit seipsum, qui necessario existit; deinde licet cognoscat creaturas possibles independenter ab actuali existentia earum, non tamen cognoscit illas, nisi per seipsum et virtutem suam cognitam, ut emittenter continentem in sua actualitate omnes creaturas possibles. Quia licet Deus non accipiat scientiam a rebus extra se, accipit (ut ita loquar) scientiam rerum extra se a seipso, ut a primario objecto cognito».

«Alia vero ratio est de scientia angelorum, quae est velut media inter divinam et humanam, et potest interdum esse de rebus possibilibus in seipsis immediate. Et ratio est, quia Angeli habent scientiam per infusionem specierum a prima causa; et quoad hoc quodammodo habent scientiam per doctrinam potius, quam per inventionem. Et ideo dixi sermonem esse de scientia, quatenus ex rebus ipsis comparatur et habetur. Unde etiam in nobis contingere potest, ut per doctrinam habeamus notitiam de rebus possibilibus, etiamsi per suam actualem existentiam non moveant sensum et intellectum nostrum. Et ratio est, quia quando cognitio habetur per doctrinam vel infusionem, jam supponit scientiam earundem rerum in alio docente vel influente, in quo est scientia ex rebus vel ex aliqua re actu existente. Et ita

etiam in scientia per doctrinam verum habet, quod saltem mediate provenit ex aliqua re actu existente, et sic extenditur ad cognitionem rerum possibilium» (1).

Actus relate ad
potentiam
activam non est
prior
in perfectione,

β) **Actus comparatus ad potentiam activam.** Primo relate ad perfectionem vel substantiam, actus potentia agentis ut sic ex genere suo non est prior, quam potentia. «Nam talis actus est aut actio hujus potentiae, aut terminus actionis. Actio autem, ut sic, quid imperfectum est, ut per se constat; terminus item actionis *per se loquendo* non excedit virtutem activam, nisi fortasse illa tantum sit instrumentalis... Potentia ergo activa ex suo genere non habet, quod sit minus perfecta, quam actus ejus, immo cum ab illa procedat ejus actus, et ab illa participet quidquid perfectionis habet, necesse est, ut ex suo genere sit perfectior, et quod perfectissima potentia activa (nempe divina) superet in perfectione quemlibet actum, qui ab ipsa manare potest (divina enim potentia infinita est, nullus autem effectus infinitus esse potest). Quamvis in particulari aliqua virtus activa possit esse æqualis perfectionis cum suo actu, quoad terminum actionis, ut in univocis agentibus, aliquando vero sit minus perfecta, ut in virtutibus instrumentalibus» (2).

nec respectu
cognitionis vel
definitionis
per se
loquendo;

Secundo, respectu cognitionis aut definitionis operatio activæ potentiae non est *per se loquendo* prior quam ipsa potentia, sed potius e converso; nisi solum in potentia prædicamentali, quæ per se primo est instituta ad talem actionem. Primum probatur, «quia virtus activa ex suo genere est eminentior actione sua, et potest esse res omnino absoluta etiam a transcendentali habitudine ad suum actum. Ergo cognitio aut definitio talis virtutis per se non supponit cognitionem actionis ejus, nec per se illam requirit in sua absoluta definitione. Alterum etiam probatur, quia cum illa actio, quatenus talis est, dicat habitudinem ad tale principium, per se requirit, ut per ordinem ad illud cognoscatur ac definiatur. Et e contrario quia illa virtus est per se causa talis actionis eminenter continens illam, cognita perfecte tali virtute, per illam tamquam per causam, poterit actio

(1) Suar. disp. 43 *Metaph.*, sect. 6, n. 7-6; lege etiam quæ sequuntur.

(2) Suar., disp. cit., sect. 6, n. 10; vide etiam n. 11.

ejus cognosci. Ergo ex se talis potentia est prior cognitione suo actu, quam e converso» (1).

Dices potentiam ipsam activam Dei, licet sit omnium perfectissima et absolutissima, non posse exacte cognosci seu comprehendi, quin cognoscatur actio ejus, saltem ut possibilis. Ergo exacta cognitio cujuslibet potentiae pendet ab operationis cognitione.

Resp. trans. antec., quod a quibusdam negatur. *Neg. conseq.*, quia quod divina potentia cognosci exacte nequeat sine cognitione actus non est propter dependentiam, sed propter eminentiam causæ et necessariam consecutionem. Sicut enim aliquando contingit rem unam non posse esse sine alia, non quia ab illa pendeat proprie ut a causa et a priori, sed quia per dimanationem vel alio modo necessario illi conjungitur; sic in præsentī hic intelligendum est posse unam rem necessario cognosci cum alia, non quia sit cognitione prior, sed potius e converso, quia ex vi alterius necessario cognoscitur (2).

Dictum est in assertione *per se loquendo*, «id est considerando ordinem seu modum cognitionis, quem res ipsæ secundum se postulant; nam respectu nostri sæpe contingit, ut operatio sit prior cognitione quam potentia, quia non cognoscimus res a priori, sed per effectus. Addita vero est exceptio earum potentiarum seu qualitatum, quæ per se primo natura sua sunt institutæ ad actionem. Nam cum earum essentia includat transcendentalem habitudinem ad suum actum, non potest nisi per illum cognosci seu definiri, ut statim dicemus de potentiis passivis, nam in hoc eadem est utrarumque ratio» (3).

Denique relate ad prioritatem durationis «dicendum est potentiam activam esse simpliciter priorem natura suo actu, et posse etiam esse duratione priorem, quamquam non semper necessarium id sit.

Primum constat..., «nam potentia activa est causa efficiens sui actus. Ergo est simpliciter prior natura illo».

nec respectu
durationis.

(1) Suarez, *ibid.*, n. 12.

(2) Suarez, *loc. cit.*, n. 13.

(3) Suarez, *ibid.* et num. 14.

Illud enim est generatim natura prius, a quo alterum in suo esse dependet, et sic omnis causa necessario prior est natura effectui. De ordine vero durationis, constat in primis potentiam non posse esse posteriorem duratione suo actu, cum ad illum supponatur tamquam principium ejus (1); nisi velis excipere cum Aristotele (2) potentias et artes, quæ usu et actuum repetitione comparantur. Nihilominus de hujusmodi etiam artibus seu habitibus dici potest, quod licet supponant actus, non tamen supponunt eos, quos eliciunt, sed alios similes quoad substantiam vel speciem, qui necessario supponunt potentiam naturalem, a qua eliciantur. Deinde certum est potentiam agentem per se non pendere ab actu suo: et ideo ex hac parte non repugnat tempore antecedere. Aliunde vero non semper potentia ex necessitate prodit in actum, vel quia libera est, vel quia licet ex se agat ex necessitate, non tamen semper habet applicata omnia requisita ad agendum, vel certe quia actio ipsa successiva est, et ideo oportet ut saltem per instans supponat potentiam (3). Atque hinc facile e contrario ostenditur, non oportere ut semper potentia agens duratione præcedat suam actionem. Nam si actio ex se neque fiat cum resistentia contrarii, neque includat intrinsece successionem, sed subito fieri possit, poterit esse simul tempore cum sua potentia. Nam potest talis potentia in primo instanti sui esse habere simul conjuncta et applicata omnia requisita ad agendum. Ergo, si sit libera, poterit simul exercere actionem suam; si vero sit naturalis, ex necessitate habebit actionem sibi coævam» (4)...

Actus relate
ad potentiam
passivam

γ) Actus comparatus relate ad potentiam passivam.

«Atque eodem fere modo, ne id repetere necesse sit, ratiocinandum est de ordine durationis inter potentiam passivam et actum ejus. Non enim potest talis potentia ex natura rei esse tempore posterior suo actu, cum ad illum supponatur.

(1) Suarez, loc. cit., n. 14.

(2) *Metaph.*, lib. 9, cap. 8, text. comm. 14. Cfr. S. Thom., lib. 9 *Metaph.*, lect. 7, paragr. d.

(3) Vide Suar., loc. cit., n. 14.

(4) Suar., loc. cit., n. 15. Cfr. etiam n. 16, 17, ubi solvit difficultatem.

Neque etiam est necesse, ut sit prior tempore illo, potest enim habere illum congenitum; tamen ex genere suo non repugnat, quin tempore præcedat, vel divisim quemlibet actum signatum, quia ante quemlibet potest esse sub alio, vel collective, quia potest aliquando esse tantum in potentia sub nullo actu, ut patet in intellectu humano et similibus: quamquam in aliqua potentia ex speciali ratione id repugnet saltem ex natura rei, ut in materia prima» (1).

Relate autem ad perfectionem, potentia passiva, *quatenus talis*, est minus perfecta suo actu; non quia semper sit simpliciter minus perfectum ens, sed quia melius se habet sub actu suo, præsertim perfecto, quam sine illo.

at perfectione
potest esse prior
aut posterior
pro
variis casibus:

«Sensus primæ partis hujus assertionis est, potentiam passivam, quoad aliquam conditionem, semper esse minus perfectam suo actu. Quia potentia passiva dicit quid informe et actuabile; formatur autem, et quasi completur, et actuatur per suum actum. Ergo secundum hanc rationem semper est minus perfecta suo actu. Hæc vero comparatio tantum est secundum quid: unde ex illa non licet colligere passivam potentiam in sua entitate esse simpliciter minus perfectam actu suo. Sed est hoc quidem verum in substantiali potentia comparata ad suum substantialem actum, eo quod talis actus dat esse simpliciter, constituitque completam substantiam. At vero in potentia passiva ad actum accidentalem, distinctione opus est. Aut enim talis potentia non est per se primo natura sua ordinata ad talem actum, quem nos vocamus potentiam transcendentaliter, aut est potentia propria prædicamentalis per se primo ordinata ad actum. De priori non potest dari universalis regula, quia cum illa res, quæ talem capacitatem habet, non habeat inde suam specificam et essentialem rationem, non est mensuranda in perfectione ex capacitate talis actus, sed aliunde ex propriis principiis. Unde fit, ut interdum sit perfectior, quam actus, interdum minus perfecta; ut substantia, quæ proxime est capax aliorum accidentium, est perfectior illis, quantitas vero, quæ passive comparatur ad lucem, fortasse est minus perfecta, quam illa. Posterior autem potentia propria et prædicamentalis

(1) Suar., *ibid.*, n. 18.

nunquam est pure passiva, ut dixi, sed est simul principium activum suorum actuum: et ideo, ut opinor, semper est perfectior illis (loquor de actibus naturalibus, ut omittam comparationem ad supernaturales, quæ ad nos non spectant), tamquam principium eminens et æquivocum illorum. De qua re latus in libris de Anima, nam hujusmodi potentia tantum in anima reperiuntur. Ultima pars conclusionis facile etiam probatur ex dictis, nam dum actus potentia passiva sit formalis perfectio ejus, cum illi conjungitur, addit illi perfectionem, quam potentia ex se non habebat. Ergo potentia sub tali actu perfectior erit, quam si illo careat.»

«Dices: compositum ex illa et actu erit perfectius quam sola potentia, ipsa vero non erit perfectior, quia semper manet eadem entitas distincta ab actu.—Respondetur. Sicut potentia informatur et actuatur per actum, ita etiam per illum perficitur, non quia ipsa simplex entitas potentia sua perfectione essentiali crescat, sed quia illi intrinsece additur perfectio, quæ est veluti complementum ejus, et in optimo ac perfecto statu illam constituit» (1).

Dices præterea doctrinam hanc ex mente Aristotelis limitari ad actus bonos, dicit enim Philosophus in malis finem et actum deteriorem potentia esse (2).

Nihilominus S. Thomas absque ulla limitatione actum dicit potius esse potentia tum in bonis tum in malis, sed tamen unumquemque in suo genere. *Semper actus perfectior est, inquit, potentia perfectione proprii generis: unde actus bonus perfectior est in bonitate, quam potentia bona. Et similiter actus malus perfectior est in malitia, quam potentia mala; quia in actu malo est malitia simpliciter, sed in potentia ad malum est malitia secundum quid. Potentia autem ad malum dicitur simpliciter a Deo esse, et secundum quid a Deo non esse. Perfectio enim in malitia non est perfectio proprie et simpliciter dicta, sed quasi transumptive, sicut dicimus perfectum latronem et perfectionem cæcitatatis, ut in quinto*

(1) Suar., *ibid.*, n. 19, 20, 21.

(2) Lib. 9 *Metaph.*, cap. 10, text. comm. 19. Cfr. S. Thom., *lib. 9 Metaph.*, lect. 10, paragr. h.

Metaphysicorum (1) dicitur (2). Etenim utimur translativè nomine perfecti etiam in malis, dicimus enim perfectum calumniatorem, et perfectum latronem, quando in nullo deficit ab eo quod competit eis, in quantum sunt tales. Nec est mirum si in istis, quæ magis sonant defectum, utimur nomine perfectionis, quia etiam cum sint mala, utimur in eis nomine bonitatis per quamdam similitudinem. Dicimus enim bonum furem et bonum calumniatorem, quia sic se habent in suis operationibus, licet malis, sicut boni in bonis (3). Cæterum si sermo sit de actu perfectionis alicujus vel formæ in ordine ad subjectum spectatæ, quatenus huic conveniens sit vel secus, manifestum est actum solum in bonis esse perfectiorem potentia, nimirum quando illi convenientem affert perfectionem, in malis vero deteriorem esse, quia subjecto disconveniens est (4). Et id voluit Aristoteles in adducto loco.

Denique relate ad cognitionem, dicendum est actum esse potentia priorem, non solum quoad nos, sed etiam secundum se et natura sua.

«Hæc conclusio intelligitur de potentia passiva per se primo instituta propter actum, qualis est in substantialibus materia prima... In accidentibus vero sunt hujusmodi potentia illæ, quæ ad actus immanentes recipiendos ordinantur ut ex superioribus constat. Hæ autem potentia sunt propria animalium vel superiorum viventium. Quare demonstratio hujus conclusionis potissimum pertinet ad scientiam de Anima, ubi ostenditur potentias specificari ab actibus. Ex quo principio probanda est dicta assertio. Quia principia sunt aliquo modo cognitione priora, quam ea, quæ sunt ex principiis. Sed actus est aliquo modo principium potentia, in quantum est specificans ipsam, et in quantum est id, propter quod talis potentia primario instituta est. Ergo actus ut sic est prior cognitione. Rursus id, per quod aliquid definitur, est prius definitione, quam ipsum definitum. Sed

cognitione
desique
prior est et in se
et quoad nos

(1) Cap. 16, text. comm. 21.

(2) S. Thom., 2.^a dist. 44, q. 1, a. 1 ad 2.^{um} Cfr. 2.^a dist. 19, q. 1, a. 4 ad 3.; et 1. 2. q. 71, a. 3.

(3) S. Thomas, *lib. 5 Metaph.*, lect. 18, post. initium. Ex Aristotele, *ibid.*, cap. 16, text. comm. 21.

(4) Vide Suarezium, *loc. cit.*, sect. 6., n. 22-25.

potentia hujusmodi definitur per actum, tamquam sumens ab illo speciem. Ergo est actus prior definitione, quam potentia» (1).

Dices: «Potentia et actus sunt correlativa: et sicut potentia non potest cognosci, nisi per actum, ita neque actus nisi per potentiam. Ergo non magis potentia est prior definitione, quam actus, sed ad summum erunt simul cognitione. Respondetur, actum et potentiam, prout nunc de illis loquimur, non esse relativa prædicamentalia, sed transcendentalia: in relativis autem transcendentalibus non repugnat terminum habitudinis esse simpliciter priorem cognitione, quam ipsum relativum transcendentale. Deinde concedo actum et potentiam, de quibus nunc est sermo, habere inter se mutuam dependentiam in cognitione et definitione, et ea ratione esse vel aliquo modo simul cognitione, vel potius invicem comparari ut prius et posterius in diversis generibus causarum; simpliciter tamen actum censi priorum, quia ille est, qui determinat, et quasi dat ultimam speciem. Loquimur autem de actu actuanti; nam si sit sermo de actu simpliciter, sic dari potest actus abstrahens ab omni potentia...» (2).

Nihil
cognoscitur,
nisi in quantum
est actu.

Huc etiam revocari potest effatum illud ex Aristotele desumptum (3), quod sæpe S. Thomas usurpat (4): *Nihil cognoscitur vel intelligitur, nisi secundum quod est actu.* Et ratio colligi potest ex inductione et experientia; nam possibilita non possumus cognoscere nisi secundum actualitatem, quam habent in suis causis, vel respiciendo ad actualitatem, quam in seipsis, si producerentur, haberent (5). Ad rem Angelicus Doctor: *Scientia non est nisi entis, eo quod ens et verum convertuntur. Dupliciter autem aliquid dicitur ens:*

(1) Suar., loc. cit., n. 25.

(2) Suar., ib., n. 26. Cfr. de hoc axioma Joann. Ulloa, *Prodróm.* disp. 4, ab initio. Doctrinam hanc Suarezii breviter collegit Reeb in *Thesauró philosophor.* pars. 2, A, n. IX.

(3) Arist., *Metaphys.*, lib. 9, cap. 11, text. 20.

(4) Vide v. g. 1. p., quest. 12, art. 1; quest. 14, art. 3; quest. 84, art. 2; quest. 87, art. 1, 2, 3; 3 p., quest. 10, art. 3; *de Verit.*, quest. 2, art. 4 ad 7.^{um}, etc.

(5) Cfr. S. Thom., 1 p., quest. 87, art. 1.

uno modo simpliciter, quod scilicet est actu, alio modo secundum quid, quod scilicet est ens in potentia. Et quia ut dicitur in 9.^o Metaphysicor. (text. 20) unumquodque cognoscitur, secundum quod est actu, non autem secundum quod est in potentia, scientia primo et principaliter respicit ens actu, secundario autem respicit ens in potentia, quod quidem non secundum seipsum cognoscibile est, sed secundum quod cognoscitur illud, in cuius potentia existit (1).

230. PROPOSITIO 12.^a Actus et potentia non faciunt multa, sed unum (2).

Sensus est, primo quod ex potentia receptiva et actu ejus unum fiat per intimam unionem. Et secundo, quod id quod prius erat in potentia objectiva, id ipsum fiat actu, cum producitur per virtutem causæ efficientis. Uterque sensus verus est, et in prima interpretatione sermo est de potentia physica et receptiva suoque actu, in altera vero de potentia logica et actu existentie (3).

Actus et potentia
faciunt unum,
non multa.

231. PROPOSITIO 13.^a Ex duobus entibus actu non fit unum per se.

Colligitur axioma ex his verbis Philosophi: *Impossibile... est substantiam ex substantiis esse, quæ sic insunt, ut actu. Quæ enim duo sic actu sunt, nunquam unum actu sunt: sed si potentia duo sunt, erunt unum ut duplum ex duobus dimidiis in potentia (4).* Et intelligitur de entibus actu completis in esse et specie, quæ dicuntur simpliciter entia, ut advertunt plures Doctores (5); et sic evidens est ex terminis. Quæ enim duo vel plura remanent actu entia completa in esse ac specie, actu plura sunt. Et hic videtur esse sensus contextus et interpretationis S. Thomæ.

Ex duobus
entibus actu
non fit unum
per se.

(1) S. Thom., 3 p., quest. 10, art. 3.

(2) Vide Aristotelem, lib. 8 *Metaph.*, cap. 6. Cfr. S. Thom., ib., lect. 5.

(3) Vide Suar., disp. *Metaph.* 43, sect. 5, n. 10.

(4) Arist., lib. 7 *Metaph.*, c. 13, text. comm. 49. Cfr. S. Thom., lib. 7, lect. 13, paragr. h.

(5) Suar., disp. 31 *Metaph.*, sect. 11, n. 17, 18; Fonsec., lib. 7 *Metaph.*, cap. 13 in comment. litt. p. etc. Cfr. Reeb. loc. cit., litt. A, paragr. VII.